



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 1. Præmittitur praxis generalis, & compendiosa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## C A P U T III.

*De modo administrandi sancte hoc  
Sacramentum.*

**§. I. Præmittitur praxis generalis,  
& compendiosa.**

**E**xtra casum vel extremæ, vel moralis necessitatis, Sacerdos probabiliter dispositum non absolvat, quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis.

- P. 1. Quomodo Confessarius dispositionem vel bonam, vel malam Pœnitentis cognoscat, qui prima dumtaxat vice ejus confessionem excipit?
- P. 2. Ex narratione tenoris vitæ, & exploratione modi vivendi, & agendi, operibusque Pœnitentiæ, & externis emendationis indiciis.
2. Quomodo se geret Confessarius, qui in pago aliquo pœnitentium sibi ignotorum excipit confessiones?
- P. 1. Dum pœnitens quoddam exponit peccatum mortale, & maximè adhæsivum, putâ pollutionem, inquirat, an sæpè in istud peccatum lapsus sit, idemque in præteritis confessionibus adhuc exposuerit? Si ita: petat, qua occasione iterum in idem lutum reincidenterit: si sinè remorsu conscientiæ, & ex crasso neglectu mediorum à Confessario præscriptorum peccaverit, juxta mox dicenda, vel relabentium, vel consuetudiniorum adscribat

ca-

catalogo, cumdemque cum eo servet in procedendo modum, quem subne<sup>c</sup>temus.

R<sup>e</sup>. 2. Si vehementi agitatus temptatione, vel insolita allectus occasione peccatum iteraverit, & peccandi affectum prius extirpare conatus sit, quam ad confessionem accesserit, pariterque idonea detestationis peccatorum adferat indicia, judicet Confessarius esse peccatum fragilitatis, & pœnitentem absolvat.

R<sup>e</sup>. 3. Si Pœnitens peccata mortalia non exponat, inquirendus est status Pœnitentis, & attendenda ejus conditio: an aliqua non fecerit, quæ juxta ejus conditionem sunt illicita, an non omiserit, ad quæ obligabatur. Rusticum V. G. interrogabit, an in vendendo non commiserit fraudem? An jurandi non habeat consuetudinem? &c.

R<sup>e</sup>. 4. Si Confessarius nec peccati mortalis commissi redarguere possit Pœnitentem, diligenter attendat, an amore DEI vacuus non sit, & dum eo vacuus non vixerit, quod si ita, proponat ipsi non tantum damnandos eos, qui in graviora labuntur crimina, verum etiam eos, qui primum, maximumque in lege prævaricantur præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* Ec.

3. Ex quibus indiciis dignoscet Confessarius Pœnitentem amore Dei præditum?

R<sup>e</sup>. Sola assertio Pœnitentis, quod habeat amorem Dei super omnia, Confessarium securum reddere non potest. Ratio est, quia multi arido corde

corde amoris protestationes proferunt, & vix reperiet ullum, qui se Deum diligere ex toto corde non profiteatur. Itaque ex modo, quo Pœnitens ad susceptionem Sacramenti se præparavit, & ex vita serie colligi potest, an amore Dei prædictus sit. Si de Deo frequenter, & cum pia affectione cogitet. Si sollicitus sit, ne Deo displiceat, & mandata Dei, ut ipsi placeat, servare curet, probatio enim dilectionis, exhibitio est operis. Ex similibus indiciis Confessarius moralem certitudinem de victri- ci Dei dilectione, & idonea pœnitentis dispo- sitione haurire potest.

*§. 2. Regulæ generales dignoscendi Pœni-  
tentis indispositionem.*

1. Si actuali peccandi desiderio deprehendatur implicatus, V. G. si bona aliena restituere, famam læsam reparare detrectet.
2. Qui de pec- catis se conteri aut non velle, aut non posse pro- fitetur.
3. Qui crimina defendens ut licita, aut mortalia sustinens esse venialia, ab iis commit- tendis noluerit abstinere.
4. Qui proximas pec- candi occasiones, sive externas, sive internas deserere, aut remediis ad conversionem neces- sariis uti recusat.
5. Qui nullam examini con- scientiæ adhibuerit diligentiam.
6. Si satis- faciendi careat voluntate, aut rationabilem tenuat acceptare pœnitentiam.
7. Qui Fides careret ad salutem necessaria.

U

§. 3.